

interpellat pro homine. Declaratur exemplis. — «Mora ex re,» seu irregularis est, quando debitor non solvit aut satisfacit eo die vel tempore, quo, ut solvat sine ulla interpellatione creditoris, jus ipsum disponit et monere censetur, prout fit in omnibus contractibus, in quibus contrahentes ipsimet certam diem vel tempus pro solutione præstanda præfigunt: eo quod in his, jure sic disponente, dies ipsa determinata pro homine interpellat, indeque ea elapsa in culpabili mora existat debitor, textu expresso l. *Magnam* 12, C. de *Contrah. stipul.* ibi: «Sancimus, ut, si quis certo tempore facturum se aliquid vel daturum stipuletur, vel, quæ stipulato voluit, promiserit, et adjecerit, quod si statuto tempore minime hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit, sciat minime se posse debitor ad evitandam pœnam adjicere, quod nullus eum admonuit,» cum concord.

5. Sic etiam fur a die commissi furti semper est in culpabili mora restituendi, quæ ei nocet, jure ipso sic disponente, et, ut statim restituat, furem monente. l. fin. ff. de *Condict. furt.* juncta l. *Merito*, 19, ff. de *Vi et vi armata*. Sic pariter in contractu emptionis, ubi nullum tempus certum pro solutione determinatum est, disponente et monente jure emptor fructus ex re empti, pretio nondum soluto, interea perceptos sine ulla interpellatione venditoris ei restituere debet, in quantum ipsius interest, et non restituens in culpabili mora est. l. *Curabit*, 5, C. de *Action. empti*. Cæterum hæc mora ideo vocatur *irregularis*, quia regulariter loquendo mora ex interpellatione creditoris nascitur, arg. cit. l. *Mora*, ff. de *Usur. et fruct.* His præmissis.

6. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. ad quæstionem n. 2, positam: Regula non tantum de mora «ex persona,» sed etiam «ex re» venit intelligenda, ut proin verus illius sensus sequens sit: «Quando debitor id, quod debet, tempore debito non præstat, mora ipsi, non creditori nociva est, sive ab homine, creditore videlicet, sive a Jure, aut statuta die fuerit interpellatus, ita, ut ad omnia damna et incommoda ratione moræ secuta resarcienda teneatur.» Per jura citata, et adhuc citanda.

7. *Culpabiliter morosus tenetur ad æstimationem rei, etiamsi casu perierit.* — Declaratur, firmaturque regula et sensus illius per effectus moræ ex jure desumptos, quorum aliquos specificat Dynus hic n. 1, et seqq.

Sic enim in primis tenetur culpabiliter morosus præstare æstimationem rei debitæ v. g. equi, qui tempore moræ periit, etsi interitus casu contigerit. l. *quod te*, ff. de *Reb. credit. si cert. petat*. l. *Si in Asia*, 12, § fin. ff. *Depos. cum concord.* a Dyno citatis.

8. *Item ad compensandos fructus.* — Dein tenetur ad fructus compensandos et quidem in contractibus bonæ fidei a tempore inchoatæ moræ. l. *Si quis bonorum*, 23, ff. de *Legat. I*, l. *Moræ*, cit. § 2, l. *Qui solidum*, 78, § *Etiam*, ff. de *Legatis II*. Dynus hic. et Peck. n. 21.

9. *Atque ad interesse, et usuras.* — Ulterius tenetur ad interesse et usuras, quæ peti possunt, et augentur a die moræ; quod in odium debitoris ita constitutum habetur l. *Ratio* 3, § *Si per venditorem*, ff. de *Action. empti*. et l. *Si Kalendis*, 2, ff. de *Re judicat.*

10. *Necnon ad subeundam pœnam contractui adjectam.* — Rursus tenetur ad subeundam pœnam, si quam ratione moræ contrahentes statuerunt. cit. l. *Moræ*, § 2, ff. de *Usur. et fruct.* Peck. hic, loc. cit. ubi plures moroso debitori nocivos effectus enumerat. Item qui minori aliquid debet ex legato, fidei commissio, bonæ fidei contractu, illud statim sine ulla interpellatione hominis, ipso monente jure ac die, quo debere incipit, solvere tenetur, et non solvens in mora constitutus censetur, indeque ad damna et usuras obligatur. l. *In Min.* 3, c. *In quibus caus. restitutio necess.*

11. *Fallit regula in fidejussore, cui aliena, principalis videlicet debitoris mora nocet.* — Quæritur II. An et quales regula 25, patiantur fallentias? Resp. eam fallere in eo, quod mora non tantum ipsi moroso, sed etiam alii nociva sit, et quidem primo in fidejussore, utpote cui nocet mora in solvendo existentis debitoris principalis l. *Mora*, 88, ff. de *V. O.* ita ut teneatur fidejussor etiam ad damnum, et interesse, saltem si in omnem casum promisit. l. *Quæro*, 54, pr. ff. *Locati, conducti*. Dicitur autem notanter, «saltem si in omnem causam se obligavit;» quia non desunt auctores apud Barb. hic n. 9, docentes, fidejussorem, si in omnem casum expresse non promisit, ad debitum principale quidem, ad damnum et interesse vero non teneri, contradicente Glossa hic Strein, et aliis volentibus, fidejussorem semper censi in omnem casum fidejuberem. l. *Si fidejuss.* 7, ff. de *Fidejuss.*

12. *Idem est in contractu societatis.* — Fal-

lit secundo in casu quo duo socii sunt obligati, ubi mora unius nocet alteri socio. l. *penult.* ff. de *Duobus reis*, ibi: «Ex duobus reis ejusdem stichi promittendi factis, alterius factum alteri quoque nocet.» et l. *In condemnatione*, 173, § 2, ff. de *Reg. jur.* ibi: «Unicuique sua mora nocet, quod et in duobus reis promittendi observatur;» quia sociorum communis causa commodi et incommodi est, et quisque sibi imputare debet, qui minus diligenti socio se adjunxit. § fin. *Instit. de Societ.* «Nam qui parum diligentem socium sibi assumit, de se quæri, sibi que imputare debet.»

13. *Ac in parente respectu filii.* — Fallit tertio quoad actionem de peculio, ubi mora filii patri nocet. l. *Cum filius*, 49, pr. ff. de *V. O.* quamvis omnes has tres fallentias vere tales esse aliqui negent, eo quod filius cum patre, fidejussor cum principali creditore, socius cum socio in hujusmodi casibus idem fictione juris esse velint.

14. *Fallit item quando in mora existens moram legitime purgat.* — Fallit quarto, quod nec ipsi debitori sua mora sit nociva in casu, quo debitor moram suam legitime purgat, remonstrando, se in mora culpabili non fuisse, ut, si subterfugia non quærit, sed de fidejussoribus et aliis sollicitè indagat, quorum auxilio creditori satisfieri queat. l. *Sciendum*, 21, ff. de *Usur. et fruct.* quia in tali casu mora culpabilis adesse non videtur. Legenda in ordine ad hanc fallentiam est Glossa hic varia jura pro et contra allegans et concilians sub distinctione, quod ubi dies præfiguratur a jure pœnam imponente et dies præfixa culpabiliter non observatur, mora purgari non possit (pœna enim semel commissa non purgatur) et sic intelligi multa jura, ac præsentem regulam vult: nisi in casu aliquo moram purgari posse specialiter caveatur.

15. *Item in casu, quo debitor solvere voluit, et creditor non accepit.* — Huc pertinet, et fallit regula quinto, quando debitor non quidem illo, quo debuit, eo tamen tempore solvit, antequam creditor aliquod damnum passus est: vel si solutionem elapso jam debito tempore obtulit, et creditor, etsi potuerit, eam non accepit; cum hujus posterioris mora purgetur prior. l. *Illud*, 17, ff. de *Pericul. et commod.* ita ut debitor ad obligationem sustinendi moræ nocumenta absolvatur: excepta pœna a contrahentibus constituta. Gloss. hic. quam ipsam tamen æs-

tare non tenetur, si docet, quod a præstatione debiti absque propria culpa fuerit impeditus etiam ipso tempore, quo alias solvere tenebatur l. *Quod te*, 5, ff. de *Reb. cred.* cum universaliter loquendo præsens regula loqui censeatur de mora, quæ dolum et culpam præsupponit. cit. l. *Quod te*. et ibi Bart. Taccin. hic n. 6, Farin. tom. I, consil. 15, n. 36, et magis patebit ex regula 60, h. t. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. arg. can. *Biduum*, 29, can. 2, q. 6.

REGULA XXVI.

EA, QUÆ FIUNT A JUDICE, SI AD EJUS NON SPECTANT OFFICIUM, NON SUBSISTUNT.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumitur hæc regula ex l. *Factum*, 170, ff. de *Reg. jur.* ibi: «Factum a iudice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est,» cui concordat. l. fin. ff. de *Jurisdic.*

2. *Quid per officium Judicis intelligatur?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per officium judicis hic intelligi potestatem et jurisdictionem a lege, canone, vel homine judici concessam ad debite et legitime examinandas, tractandas, judicandas, expediendas causas et negotia ad suam potestatem, seu jurisdictionem pertinentia: ut proin judex tunc aliquid, quod ad officium non spectat, agere dicatur, quando transgreditur limites concessæ sibi potestatis et jurisdictionis; sive dein id faciat circa rem et causam sub potestate et jurisdictione non comprehensam, sive circa personam jurisdictioni illius non subjectam, sive extra territorium suæ jurisdictioni præfixum, sive contra præscriptam juris formam et ordinem. Quæ omnia et singula a iudice facta juxta regulam nulla et invalida sunt per rationes et jura infra alleganda. Hinc.

3. *Ponitur verus regulæ sensus.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: «Omne id, quod judex ultra limites potestatis et jurisdictionis sibi concessæ, vel contra præscriptam juris formam facit, nullum et invalidum est.» Ratio est, quia tota vis et valor eorum, quæ a iudice geruntur, fundatur in potestate publica, et jurisdictione sibi data, ac præscripta: consequenter ubi hoc fundamentum deficit, valorem quoque actorum ab eo deficere necesse est. Barb. hic n. 1,

cum Gloss. communiter recepta in l. 1, ff. de Jurisdic. arg. c. Forus. 10, § Judex. de V. S.

4. *Declaratur juris exemplis. Judex quando nulliter agat?* — Declaratur et firmatur regula sensusque illius exemplis juris. Sic enim impudens si judex laicus judicat et condemnat, quem constat esse clericum, vel laicum sub ipsius jurisdictione non existentem, sententia ipso jure est nulla, utpote a non competente giudice lata. c. At si clerici. 4, pr. de Judicis. l. 1, et per totum maxime, l. fin. C. Si a non compet. l. fin. de Jurisdic. cum concord. apud Dynum; item si pupillo dat tutorem suae jurisdictioni non subjectum vel pupillo sibi non subjecto tutorem assignat, utraque assignatio ipso jure invalida est, l. Scire oportet. § fin. ff. de Excus. tit. Item si causam matrimonii cognoscit et judicat, etc. Item si actus jurisdictionis extra suum sibi competens territorium exercet, vel ibi sententiam definitivam fert, cuncta sunt nulla et invalida c. fin. de Constit. in 6, et l. fin. ff. de Jurisdic. Item si fert sententiam parte altera non audita, invalida est sententia, l. Ea, quae et l. Consentaneum. C. Quomodo et quando judic. Eadem nullitas habetur, si judex parte utraque non consentiente tempore teriarum procedit. l. 1, § Si vero, ff. de Fer. Pariter nulla est sententia a giudice lata sine praevia causae cognitione, l. Nec unquam. 9, ff. de Offic. procons., quia in his cunctis judex limites suae potestatis egreditur, et contra praescriptam juris formam, consequenter nulliter agit.

5. *Non tantum inferior, sed etiam supremus judex nulliter agit, si excedit limites sui officii.* — Et procedit regula non tantum in inferiore, sed etiam supremo giudice ac principe; cum et hic, si extra territorium suae provinciae, vel in aliquem sibi nulla ratione subditum, vel in causa ad se non pertinente jurisdictionem et potestatem suam exercere attentaret, nulliter ageret: Ut si rex Poloniae in ditionibus Romani imperii jurisdictionem exercere, vel Papa infidelem seu pagani Ecclesiae non subditum excommunicare vellet. Strein hic n. 4; Sylvester. § Papa, cum communi aliorum per rationes et jura citata universali praxi confirmata.

6. *Etiamsi utiliter agat; quia non sufficit bonum agere, nisi etiam bene fiat.* — Insuper procedit regula etiam in casu, quo judex sive inferior, sive supremus bonum et utile quid, sed ultra suam potestatem facit, judicat, aut

ordinat. Strein hic n. 4, cum aliis et Glossa, can. Bene quidem. 1, et can. Si imperator. 11, dist. 96, et c. Ecclesia 10, de Constit. ubi statutum Basili de non alienandis rebus Ecclesiae etiam ipsis ecclesiis notivum ex ea ratione fuit reprobatum, quod ad eius cu principis laici non spectavit officium de rebus seu personis ecclesiasticis statutum condere. Simile quid accidit post appellationem ad Papam; post eam enim nil debet innovari per inferiorem judicem, et si secus fiat, id irritum est et inane, arg. c. Dilictus. 55, de Appell. Nam ut Glossa ait hic: « Generale est, quod non sufficit bonum facere, nisi et bene id fiat. »

7. *In dubio, an judex excedat limites suae potestatis, stat praesumptio pro giudice.* — Verum hactenus dicta de regula et sensu illius procedunt in iis duntaxat, quando sufficienter constat, hoc vel illud non spectare ad officium judicis, seu potestatem et jurisdictionem illius, non vero ubi dubitatur, ut bene notat Glossa hic vers. Non spectat. et sequitur Barb. hic. n. 2; Tacem. n. 7; Strein cum communi aliorum; nam ubi dubium est de potestate et jurisdictione judicis, valent interim acta et sententia illius, utpote pro quo stat praesumptio, cum ad ejus manus spectet examinare, quae ad suam jurisdictionem pertinent arg. l. Si quis ex aliena. 5, ff. de Judicis. ibi: « Praetoris enim est, estimare, an sua sit jurisdiclio, vocati autem, non contemnere auctoritatem praetoris. » Quod si aliqui a jurisdictione se exemptos praetendunt, provide statim in eadem lege subjungitur: « ut in jus vocati veniant, privilegia sua allegaturi, » alioquin poenis subjaceant.

8. *Quivis in alieno territorio existens sortiri ibidem potest forum ratione delicti contractus, etc.* — Objicitur primo contra regulam: Valet citatio non subditi in territorio judicis existentis: l. Si quis, 7, ff. de Judic. Resp. hoc non obstat regulae; quia quivis etiam in alieno territorio existens varie sortiri potest forum judicis territorii, v. g. ratione delicti, contractus, etc., uti late dictum lib. II, tit. II, § 3 et 4.

9. *Valet citatio subditi extra territorium existentis.* — Objicitur secundo. Valet citatio subditi extra territorium existentis, adeo, ut si citatus non compareat, excommunicari queat. c. Tuae 3, ut lite non contest., et c. Ex tua 11, de Cleric. non resident. Resp. Judicem citando subditos in alieno territorio contuma-

REGULA XXVII. SCIENTI, ET CONSENTIENTI NON FIT INJURIA, NEQUE DOLUS. 67

citer absentes, eosdemque excommunicando non transgredi limites suae potestatis; cum hujusmodi citatio vel in ipso territorio judicis ad valvas affigi, vel publice promulgari, vel per litteras aut nuncium sine ullo strepitu judiciali alienae jurisdictioni praejudicialia fieri valeat, et excommunicationis sententia lata in subditum extra territorium existentem illius animam invisibiliter liget, uti bene ratiocinatur Abb., in c. fin. de Foro campel.

10. *Fallit regula in iis, quae sunt potestatis ordinis.* — Queritur II. An et quas fallentias patiat regula 26? Resp. Eam fallere primo in aliis spiritualibus, quae potius dependent a potestate ordinis, quam jurisdictionis; nam episcopus consecrans alienam ecclesiam vel altare, vel ordinans alienum subditum etiam inscio vel invito proprio episcopo, etsi illicite agat, valide tamen consecrat et ordinat; Gloss. hic claris juribus.

11. *Item quae sunt jurisdictionis ordinariae.* — Fallit secundo in iis, quae sunt voluntariae jurisdictionis: sic enim episcopus etiam extra territorium suum existens potest conferre beneficia per dicta lib. III, tit. V, de Praeb.

12. *Et in episcopo injuste expulso.* — Fallit tertio in episcopo injuste expulso a sua civitate et Sede episcopali; talis enim ex speciali dispositione juris in vicino episcopatu suam jurisdictionem erga sibi subditos valide et licite exercere potest. Clement. unic. de Foro compet.

REGULA XXVII.

SCIENTI, ET CONSENTIENTI NON FIT INJURIA, NEQUE DOLUS.

1. *Haec regula unde desumpta?* — Desumitur haec regula ex l. Nemo videtur 145, ff. de Reg. jur. ibi: « Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt, et consentiunt. » Concordat l. Cum donationes. C. de Trans. et aliae a Glossa citatae hic.

2. *Est intelligenda in sensu copulativo, non disjunctivo. Scire et scire debere ac facile posse pro eodem habentur.* — Queritur I. Quomodo haec regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Patet intelligendam esse copulative non disjunctive, ita ut conjunctum quis sciat, simulque consentiat, et quidem libere, non vi aut metu coactus, sique consensus in id, in quod quid consen-

tire potest, seu de jure non prohibetur. Tacet., hic n. 2; Glossa hic communiter recepta. Sufficit autem scientia non tantum actualis, sed etiam praesumpta talis, quam debet quis habere, etsi non habeat. Strein, hic, n. 1, qui quia ignorat, quod scire debet, non meretur excusationem, c. de Postulat. prael. cum scire et scire debere, ac facile posse pro eodem habeantur c. fin. § Si quis. de Clandest. despons.

3. *Ponitur verus sensus regulae.* — Resp. II. Verus sensus regulae sequens est: « Ei, qui aliquid sufficienter intelligit, et in illud nulla vi, nulloque metu coactus libere consentit, nec injuria nec dolus fieri censetur. » Ratio regulae est, quia nullus injuriam patitur, cujus jus non violatur; sed illius, qui scienter et libere consentit, jus non violatur: cum juri suo, quod in aliquid habet, consentiendo in illud, cedere censeatur.

4. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur et firmatur exemplis juris: Sic enim si quis ingenuus scienter contrahit matrimonium cum serva, vel si ingenua scienter et voluntarie contrahit cum servo, non potest exceptionem facere ob dolum aut injuriam, sicut posset, si ignoranter id fecisset, textu claro can. Si quis ingenuus, 4, et can. Si femina, 5, cau. 29, q. 2.

5. *Sciens et libere consentiens censetur cedere juri suo.* — Sic pariter qui vendit liberum hominem scientem et consentientem, non tenetur actione injuriarum, l. 1, § Usque adeo., ff. de Injur. Et qui retinet liberum hominem volentem et consentientem, non tenetur interdicto de libero homine exhibendo l. Quod et 3, § Si quis volentem, 5, ff. de homine libero exhib. Rursus si quis emit domum, cui servitatem annexam scit, non habet de illa exceptionem, l. 1, ff. de Action. empti et venditi. Sic universaliter qui utitur, vel fruatur jure alterius bene scientis et libere consentientis: item qui accipit, retinet, vel consumit rem alterius probe scientis et libere consentientis, non infert huic injuriam, neque dolum; quia libere consentiendo videtur in hoc cedere juri suo, sicque in hoc jus illius non violatur, et consequenter nec injuriam patitur, quando scienter ita consentit. Exempli gratia adhuc habentur l. Cum donationes, 34, C. de Transact. l. Venditor, 11, C. de Rescindi. vendit. l. Quamvis, 11, ff. de In jus vocand. l. In diem, 9, ff. de aqua plu. arcen. cum concord. apud Dynum hic. n. 2.

6. *Injectio manuum violenta in clericum vo-*

lentem trahit secum excommunicationem. — Objicitur tamen varie contra hanc regulam, et quidem imprimis c. *Contingit.*, 36, de *Sentent. excomm.* Injectio rannuum in clericum volentem, dum videlicet quis ipsum volentem percutit in satisfactionem præcedentis injuriæ, « etsi non violenta, tamen injuriosa, » dicitur: ergo etiam volenti fit injuria. Resp. injuriam in hoc casu non fieri clerico, utpote consentienti, bene vero toti statui clericali, in cujus favorem canon « si quis suadente » conditus est, cui per suum consensum clericus derogare non potest.

7. *Non item jocosa mutua clericorum.* — Urgebis. Clerici, « qui non ex odio, invidia, vel indignatione, sed levitate jocosa se ad invicem percutiunt, aut etiam intuitu disciplinæ et correctionis, » non incurrunt excommunicationem, neque censentur inferre injuriam statui clericali, c. 1, de *Sentent. excom.* Ergo idem erit dicendum de casu in cit. c. *Contingit.*, ubi clericus volens percussus perhibetur causa satisfactionis. Respondet Glossa in cit. c. *Contingit.* disparitatem esse, quia manus percipientis in c. *Contingit.* sæviit, et causa ulciscendi priorem injuriam percussisse videtur; non sic illi, qui loco.

8. *Raptus virginis scientis et consentientis punitur et quare. Dolosa persuasio plus est, quam violenta coactio. Raptus vere consentientis virginis non inducit impedimentum matrimonii.* — Objicitur ulterius: Qui virginem etiam consentientem rapit, graviter punitur a jure l. *Raptores. C. de Raptu virg.*, ergo etiam scienti et consentienti videtur irrogari injuria. Resp. legem illam non obesse regulæ, partim quia prædicta lex in præsumptione fundatur, qua ordinarie præsumitur, virginem si non vi, saltem dolo fuisse raptam et hoc ipso injuriam passam. Dynus Me, n. 3 et 4, quia qui dolose decipitur, pro non volente habetur; cum dolosa persuasio plus sit, quam violenta coactio, l. 3, § *Si quis volentem*, ff. de *Homin. liber. exhib.* Partim quia, si non ipsi virgini, saltem parentibus illius per raptum filiæ censetur irrogari injuria. Taccin., hic., n. 9. Partim quia a sufficienter constat, virginem absque omni vi et dolo scienter ac libere consensisse, verus raptus non est et virgo hujusmodi non tam raptam, quam occulte fugitiva dicenda venit, sicque regula in suo valore procedit. Navar., lib. V, consil. 3, num. 1, de *Raptu*. Sanch., lib. VII, de *Matrim.*, disp. 12, num. 36 et alii, arg. c. *Cum causam*, 6, de *Raptor.*, ubi

Summarium sic habet: « Raptu non dicitur, ubi volens pro matrimonio adducitur; » prout etiam ibidem impedimentum exinde non induci deciditur.

9. *Ex metu scienter consentiens patitur injuriam.* — Objicitur adhuc l. *Si mulier*, 21, ff. *Quod metus caus. gest.* ubi mulieri beneficio restitutionis in integrum succurritur, etiamsi sciens et consentiens adierit hæreditatem sibi nocivam: ergo scienti et consentienti fit injuria; alias enim si mulier hæc injuriam passa non fuisset, lex restitutionem in integrum non concessisset. Resp. dictam mulierem gravi metu adactam hæreditatem adiisse, uti legenti textum patet. Et quamvis coacta voluntas: tamen, quia habuit jus, ne ad hæreditatis damnosæ aditionem metu adigeretur, et violatione hujus sui juris injuriam passa est, æquitate suadente per dictum extraordinarium medium merito illi succurrebatur.

10. *Actio furti competit domino consentienti in furtum: quando? et quare? Mala facta, quæ trahi possunt in exemplum, puniuntur, etsi nondum sint perfecta.* — Objicitur etiam l. *Si quis servus* 20. C. de *furt. et servo corrupt.* ubi domino conceditur actio furti et servi corrupti contra illum, qui domini servo, ut aliquam domini sui rem surriperet, et sibi afferret, persuasit, etsi servus ante oblationem rei iniquam suasionem sincere manifestarit, et dominus in oblationem sciens consenserit. Resp. actionem domino fuisse concessam tum, quia dominus habuit jus ne servus suus inique corrumperetur; quo jure, quis se non abdicavit, in eo injuriam passus: tum ad terrorem aliorum, ne servos alienos facile corrumperent; quia « in delictis, quæ trahi possunt in exemplum, punitur factum, licet non sit perfectum, » ut notat Rabr. in cit. l. *Si quis.* et fervent verba ultima ejusdem legis, ibi: « Ne ex hujusmodi impunitate et alium servum, qui facile possit corrumpi, hoc facere pertentet. » Tum etiam, quia dominus non in retentionem, sed oblationem duntaxat rei suæ consensit animo experiendi malitiam iniqui suavis, ut scelerem in effectum deducto eum actione furti, et corrupti servi securius conven. posset. Peck., hic. num. 13, in fine.

11. *Liber consensus martyrum in torturas et mortem quare non excuset tortores ab injuria.* — Objicitur denique exemplum sanctorum Martyrum, qui scientes, et consentientes sustinuerunt martyrium, vitam, et membra

perdidit, et tamen facta est illis injuria: ergo etiam scienti et consentienti fieri potest injuria. Resp. Quamvis sancti Martyres amore Dei, et fidei martyrium a Deo permissum scienter, et libenter sustinuerint, imo etiam desiderarint: tamen per hoc non consenserunt in tortorum iniquitatem, ac injustam actionem, qua membris et vita fuerunt privati, nec ullo modo renuntiarunt juri in vitam et membra, cum horum domini non fuerint; et hinc juri ad illa renuntiare non potuerint. Sylvester. §. *Consensus*, num. 2. Less. de *Justit. et jur.*, lib. II, cap. vii, n. 14.

12. *Regula fallit in consentientibus in prohibita de jure divino.* — Quæritur II. An et quales fallentias regula XXVII patiatur? Respondet Pirh. tit. de *Usur.*, n. 11, eam fallere in cunctis iis, ubi aliunde adest prohibitio, præsertim jure divino et naturali prohibitis, etsi mutuarius in illas scienter consenserit; præcipue cum hujus consensus sit etiam quodammodo coactus, eo quod mutuum, quo necessario indiget, obtinere non possit, nisi in usuras consentiat, prout lib. V, tit. XIX, n. 85, et toto illo titulo fusius diximus. Idem est de adulterio, quod, quia jure divino prohibitum est, consensus ad id ab uno conjugum dari nequit, et scienter ac libere datus adulteros non excusat, quin coram Deo et mundo rei existant, poenisque a jure humano in adulteros statutis subjaceant.

REGULA XXVIII.

QUE A JURE COMMUNI EXORBITANT, NEQUAQUAM AD CONSEQUENTIAM SUNT TRAHENDA.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. *Quod contra rationem*, ff. de *Reg. jur.*, ibi: « Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. » Concordat c. *Is, qui de filiis presbyt.*, in 6, ibi: « Prætextu dispensationis hujusmodi (quam exorbitantem a jure oportet velut odiosam restringi), » etc. et alia jura per Gloss. citata hic.

2. *Exorbitare a jure quid sit?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem prænotandum venit, *exorbitare* ut sic idem esse, ac ab orbita, seu via communi deflectere et deviare. Gloss. et Dynus hic: quod sacra Scriptura ad dextram vel sinistram declinare vocat. Hinc ad propositum « exorbitantia a jure » sunt, et dicuntur,

quæ a communi jure, seu a via juris communis deflectunt, seu juri communi adversantur, et contraria sunt.

3. *Aliud est exorbitans a jure, aliud correctorium juris.* — Ulterius notandum, in proprio sensu aliud esse « exorbitans » a jure, aliud « correctorium » juris. « Exorbitans a jure » est, quod dispositioni juris communis ex parte duntaxat, et non ex toto adversatur, et contrarium existit: « Correctorium vero juris » est, quod illius dispositionem ex toto corrigit. Ex quo venit, quod exorbitantia a jure communi, v. g. dispensationes, privilegia, consuetudines, statuta juris communis dispositioni ex parte tantum contraria facilius extendantur, quam correctoria illius, seu eidem ex integro adversa prout ex Farjam notavimus lib. I, tit. II, de *Constit.*, n. 423, arg. c. *Auditis*, juncta Glossa ibidem §. *Minoris. de In integr. restit.*, et docet Taccin. hic.

4. *Exorbitans a jure in stricto et lato sensu sumitur.* — Porro sunt alii, qui exorbitans a jure in stricto sensu illud appellant, quod juri communi ita adversatur, ut non nisi difficillime, et rarissime concedi soleat: in lato sensu autem omne illud rescriptum, statutum, dispensatio, privilegium a jure communi exorbitans est et dicitur, quod eidem qualitercumque adversatur. Regula nostra tam de correctoris juris, quam de exorbitantibus a jure communi, et de his tam in stricto, quam lato sensu intelligenda est; cum omne correctorium juris sit etiam exorbitans, seu devians ab illo, etsi in proprio sensu non omne exorbitans ab illo sit et correctorium ejusdem: licet aliqui inter hos terminos non distinguant, sed utrumque uno vocabulo « exorbitantis a jure » expriment. His prænotatis.

5. *Ponitur verus sensus regulæ. Exorbitantia a jure sunt odiosa; non possunt extendi ad casus et personas non expressas.* — Resp. ad quæstionem n. 2 positam. Regula præsens juxta sequentem proprium illius sensum intelligenda est: « Quæcumque a jure communi exorbitant, id est, legales, aliæque dispositiones, rescripta, statuta, dispensationes, privilegia, consuetudines, quæ alicui dispositioni juris communis ex parte vel ex toto adversantur, ad consequentiam, sive ad alios casus et personas non expressas, non sunt trahendæ, seu extendendæ. » Ratio est, quia « odia restringi, et favores convenit ampliari » juxta reg. 15, de *Reg. jur.*, in 6. Ea